

CAPUT I.

1. Argumentum Capitis.

Caput hoc est *ἡ γενικὴ πρόφασις*. e. instar generalis praefationis, in qua ea, quae tum ad libri hujus inscriptionem: tum ad Prophetam ad docendi munus vocationem pertinent, ὡς ἐν *ἡ γενικὴ πρόφασις* *ἡ γενικὴ πρόφασις* gratia praemittuntur.

2. Partitio Capitis.

Partes ejus duae sunt. In 1. Inscriptio libri usq; ad §.4 In 2. Descriptio vocationis Prophetam continetur, inde usq; ad fin. cap.

3. Usus.

Usum praebet istud caput amplissimum in commendanda verbi divini & ministerii Ecclesiastici auctoritate.

Explanatio 1. partis.

In inscriptione 4. exprimuntur. Ac (1) quidem libri argumentum vocabulo *Verborum*. In hebr. est *דְּבָרִים*, quod est nomen generale significans non modò *Verbum*; sed etiam *rem* vel *negotium*, aut *factum*, quod *verbis* explicatur. Complectitur igitur Prophetam hoc nomine & suas conciones & historicas narrationes, quas utrasq; conjunctim quidem, sed distinctè opere hoc suo comprehendit.

(2) *Prophetam familia*, facta mentione (a) *Patris ipsius*. (3) *Conditionis ejusdem*. Pater appellatur *Hilkias*, *חִלְקִיָּא* quidem illi, à quo quinquennio post liber Legis repertus scribitur 2. Reg. 22, 8. sed disparis conditionis: Nam *Hilkias*, *Jeremiam* Pater, fuit unus ex *Sacerdotibus illis gregalibus*, qui in vico *Anathoth* degebant, sicut hinc distinctionis gratia expressè additur; *Hilkias* verò ille fuit *summus Sacerdos Hierosolymae*. *Vana* igitur est *Judaeorum opinio*, sicut & *Hieronimi*, statuentium, *Jeremiam* Patrem fuisse *summum Sacerdotem*. L. C. Monendi hinc sunt *ministeriorum Ecclesiae filii*, quo dent operam, ut & ipsi *Patribus olim succedere possint* in docendi munere, utq; ipsis quoq; accomodare liceat istud *Mantuanum de Nazianzeno*:

-- -- -- -- Praesule patre satius,
Pastorale pedum gessit post funera Patris.

(3) Pro-